



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1847

CCXXXIII. Der Bischof Ludwig von Brandenburg communicirt dem Prior des Predigerordens in Berlin eine Bulle des Paptes Clemens über die Aufhebung des über die Bewohner der Städte Berlin und Cöln wegen ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

CCXXXIII. Der Bischof Ludwig von Brandenburg communicirt dem Prior des Predigerordens in Berlin eine Bulle des Pappes Clemens über die Aufhebung des über die Bewohner der Städte Berlin und Cöln wegen des ermordeten Propstes Nicolaus von Bernau verhängten Bannes, am 18. Juni 1345.

Ludovicus, Dei gratia Brandenburgensis Episcopus, Religioso viro fratri Priori ordinis fratrum predicatorum in Berlyn sinceram in domino caritatem. Noveritis nos literas sanctissimi in christo patris ac domini domini Clementis Pape sexti, vera bulla sua bullatas, non abollitas, non abrafas, nec in aliqua fui parte suspectas recepisse in hec verba:

Clemens, Episcopus, fervus fervorum Dei, venerabili fratri, Episcopo Brandenburgensi, salutem et apostolicam benedictionem. Exhibita nobis pro parte vniuersitatis hominum et mulierum Berlin et Colne opidorum tue Brandenburgensis dioecesis petitio continebat, quod cum olim ipsi graves guerras et discordias cum nonnullis principibus et aliis nobilibus partium illarum haberent, ac quidam Nicolaus presbyter, Prepositus Ecclesie in Bernowe prefate dioecesis, hospitium Prepositi opidi Berlin predicti intrasset, multi ex dictis vniuersitatibus et nonnulli alii homines extranei, qui ibidem propter forensam diem convenerant, cum eundem Nicolaum prepositum de huiusmodi guerris et discordiis nimium suspectum haberent, dubitantes, ne faueret inimicis eorum, diabolico spiritu instigati, ad dictum hospitium armata manu hostiliter accesserunt ac prefatum Nicolaum violenter ex inde extrahentes ipsum in impetu furoris publice ignis incendio concremarunt. Dum autem dicti vniuersitates, prout eadem petitio subungebat, tibi ad tuam voluntatem et ordinationem pro excessu huiusmodi satisfecerint competentur, et aliis, quorum interest, ad illius arbitrium, cui duceremus etiam committendum, satisfacere sint parati, et aliqui eorum propter capitales inimicitias, quas habent, et multi eorum ob malum statum terre ac viarum pericula et alia impedimenta canonica, et etiam alias propter multitudinem et certitudinem eorundem, sedem apostolicam, pro absolutionis beneficio obtinendo adire non possunt, nobis humiliter supplicarunt, vt eorum animarum saluti providere in hac parte de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque attendentes, quod ubi multitudo est in casu, severitati est aliquid subtrahendum, fraternitati tue de qua plenam in Domino fiduciam gerimus, per apostolica scripta committimus et mandamus, Quatenus, si ita est, idem homines et mulieres, postquam ecclesie, cui dictus Nicolaus prepositus fervebat, et aliis, quorum interest, satisfecerint iuxta tuum arbitrium competenter, tamen et jure patronatus, si qua a dicta Ecclesia obtinebant, ipsis ac eorum heredibus privatis perpetuo, ab excommunicationis sententia, quam propter hoc incurrerunt, et huiusmodi homicidii reatum, in forma ecclesie consueta auctoritate nostra absolvas, ac eorum cuilibet pro modo culpe injungas penitentiam salutarem, et alia, que de jure fuerint injungenda. Datum Avinion kal. Julii, Pontificatus nostri anno tertio.

Quare discretioni vestre districte precipimus et mandamus, quatenus tribus diebus dominicis continuis, in Ecclesiis parochialibus Berlin et Colne, videlicet vna die dominica in vna ecclesia et sic deinceps in aliis diebus dominicis in aliis ecclesiis, pro vtilitate et voluntate civium presentes nostras literas ibidem, et gratiam vel mandatum apostolicum publicetis, intimantes populo ibidem presenti si in predicto casu aliquem ipsorum gravet conscientia, quod secundum mandatum apostolicum nobis in hac parte directum absolutionis et dispensationis beneficium, quandocumque per ipsos vel eorum aliquem requisiti fuerimus, benevole volumus impertiri. Datum Brandenburg, anno domini M. CCC. XLV. Sabbato post diem beatorum Viti et Modesti martyrum.

Sibicin's Beiträge, Theil IV, 22.